

latur locus Sacre, aut persona Sacra, nec Sacramentum; & Reliquia solum materialiter, seu concomitanter, & per accidens se habet ad fornicationem. Vide num. 1533.

1525. Reliquias repertas Sanctorum jam canonizatorum recognoscere, & approbare spectat ad solos Episcopos de Theologorum, & aliorum piorum virorum consilio, antequam adorationi exponantur. Conc. Trid. sess. 25. in princ. cap. de Reliq. & Vener. Sanct.

Consilium Theologorum est tantum consultivum, unde potest Episcopus contra illud decidere; attendere tamen tunc debet, ut proprium iudicium sit rationabilis, & firmitus. Quod si non valeat se resolvere, sed sistant in dubio, recurrendum est ad Metropolitanum in Concilio Provinciali; & tunc Episcopi Concilii habent votum decisivum; quia sunt Collegæ in exercitio Concilii; & à Concilio decisio petitur, non consilium. Requiritur autem major suffragiorum pars.

1526. Ad probandum, & decidendum identitatem Reliquiarum, non requiritur evidentia, & certitudo physica; aliis neque miracula pro Canonizatione Sanctorum possent probari; quia quolibet miraculo posito, semper est intellectus, aliquid invenire, quod possit opponere, & locum dubitationi aperire. Diana part. 2. tract. 15. ref. 51. Ambr. Morales apud ipsum.

Sed sufficit certitudo practica, seu moralis, ex rationibus probabilibus orta, animum prudentis moventibus ad verisimilitudinem, & pie credendum, ita esse, ita ut nihil sit, quod dedecet, aut contradicat. Constat ex verbis Conc. *Quæ veritati, & pietati consentanea iudicaverit*. Et ex cap. *Placuit, de Consecr. dist. 1*. Ubi Reliquiæ illæ venerandæ dicuntur, quæ sunt certæ, hoc est, non evidenter, sed ex rationibus probabilibus. Et ille certus dicitur, qui probabiliter, non temerè credit. Naldus, & Sylv. apud Dianam cit.

1527. Hoc præmissis, pluribus modis potest identitas Reliquiarum probari. Primò, Bullis Pontificiis, aut instrumentis publicis, sive instrumentum sit consecratum per personam Ecclesiasticam, sive laicam; Notario namque fides datur ob conditionem personæ publicæ, & juratæ ratione Officii.

Secundò probat scriptura authentica, subscripta scilicet à Superiore, & duobus testibus, vel quæ habet sigillum, & Superioris subscriptionem.

Scriptura non authentica, si sit antiqua, & apud Reliquias reperta, probat. Holtiensis in cap. 2. de Reliq. & ex pluribus iuribus apud Graff. part. 1. lib. 2. cap. 66. num. 28. Quod est verum, si non agatur de præiudicio tertii; tunc namque scripturæ non creditur, nisi sit subscripta, & authentica. Cap. *Cum à Nobis, de Testibus, Gloss. 5. verb. Subscriptionem, cap. 4. dist. 110. Graff. cit. num. 25*. Vel nisi ex approbatione Reliquiæ vi talis scripturæ, aliquid certò moraliter sequatur, quod veritati Reliquiæ contradicat.

1528. Tempus antiquum dicitur, quod est se-

xaginta annorum. Bord. ex pluribus ref. 113. n. 45.

Pariter probant. 3. Memoria hominum, & traditio, seu publica vox. 4. Lapis marmoreus, aut Inscriptio nomen continens Sancti, ubi Reliquia reperitur. 5. Juramentum probi hominis. 6. Conditio loci altaris; quia Alaria non consecrantur sine appositione Reliquiarum.

1529. Reliquiæ, & Imagines, adorantur eodem cultu, quo personæ; quia illis solus cultus relativus competit. Com. ex dictis à num. 169. De alienatione, & translatione vide à num. 974. De venditione vide num. 1205.

AGNI DEI

1530. **P**otius censendi sunt sacre imagines, quam Reliquiæ: quia Christum Dominum mysticè repræsentant. Clericatus, cap. 15. pag. 25.

1531. Gregor. XIII. Constit. 2. *Omni certè studio* sub excommunicatione ipso facto incurrenda, non tamen reservata, prohibet: *Ne quisquam Agnos Dei per Romanum Pontificem benedictos, adpingere, immo notare, vel aurum, aut colorem superinducere, nequa depingi, aut minixari facere, nec illos venales proponere, seu tonere audeat*.

1532. Unde non potest quis vendere Agnos Dei albos ratione materiæ intrinsecæ. Azorius tom. 1. lib. 9. cap. 9. quest. 5. verb. *Quæres* contra Dianam, part. 3. tract. 6. ref. 12. Bonac. Suarez, & alios apud ipsum. Ratio est; quia Gregor. non prohibet de Agnis Dei benedictis picturam, & venditionem simul, tanquam conjunctum, sed tanquam duos actus distinctos, ut constat per particulam *Nec*. Solum fautor, quod possit aliquid accipere ratione expensarum in asportatione facturum.

Dixi: *Ratione materiæ intrinsecæ*; quia ratione materiæ extrinsecæ, auri, argenti, &c. qua solent aptari, & extrinsecè ornari, vandi posse, non est dubium.

1533. Non est sacrilegium dare Amariæ Agnum Dei, aut Reliquiam ex benevolentia, & gratitudine, licet sit irreverentia. Sacrilegium tamen esset, si daretur in solutionem, ob injuriam rei faceræ; nam res sacra fieret pretium turpis lucri. Vide num. 1524.

1534. Laicus eos tangens, si absit contemptus, non peccat, ex usu.

1535. In eorum consecratione intercedit sacra unctio: eorum autem materiæ, & virtutes his explicantur verbis.

Balfamus, & munda cera cum Chrismatibus unda Consciunt Agnum: quod minus do tibi magnum, Fonte velut natum, per Mystica Sanctificatum, Fulgura desurfum depellit, & omne malignum. Peccatum frangit, ut Christi Sanguis, & angit, Prægnans servatur simul, & partus liberatur. Dona desert dignis, virtutem destruit ignis. Portatus mundè, de fluctibus eripit undæ.

CA-

CAPUT VII.

DE TENTATIONE DEI.

1536. **T**entatio Dei, est dictum, vel factum, quo quis explorat, num Deus aliquam perfectionem habeat. Est duplex, for nalis una, & est, quando adest expressa dubietas de aliqua perfectione, ut si quis se det præcipitem è turri, ad experiendum, num Deus sit omnipotens eum à lesione liberando, de quo dubitat, & hæc est mortalis; quia est gravis irreverentia, juxta illud dæmonis Christò: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant*. Implicita, & interpretativa alia, & est illa, cui præfata dubitatio adest, & tunc habetur, quando quis, licet non intendat Deum tentare, petit tamen, vel agit, quod supra naturam ed referri videtur; ut si quis in gravi morbo media naturalia omittat, nempe medicinam; sperans, aut petens à solo Deo effectam. Hæc ut plurimum est venialis ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconsiderationem, aut parvitatem periculi. Imò nullum peccatum, si iusta causa adsit, v. gr. Dei instinctus, necessitas, pia utilitas; per accidens tamen potest esse mortalis ratione materiæ, si sit periculum gravis mali, ut si quis adverterent in puteum se projiceret, ad ostendam Dei erga se providentiam.

Bonac. tom. 2. pag. 255. Tamb. tom. 1. lib. 2. cap. 2. §. 2. Bufemb. lib. 3. tract. 1. cap. 2. dub. 1. Bertaldus 1. Precept. punit. 31.

1537. De Hæresi suscitatum est in tom. 2. num. 258. à n. 289. ad 339. & à n. 381. ad 396.

DE II. PRÆCEPTO DECALOGI.

Non assumens nomen Dei tui in vanum.

CAPUT I.

DE BLASPHEMIA

Satis dictum est in tom. 2. à num. 310. ad 321.

1538. Facere dæmonium sanctum, licet in se sit blasphemia hæreticalis, in Regno tamen Siciliæ, ob consuetudinem, non reputatur blasphemia hæreticalis, sed simplex, ut in tom. 2. num. 315. Imò à viro dignissimo, & S. Inquisit. Ministro, æquè perito, ac docto audivi, idem pro tota Italia servari ex Declar. S. Inquisit. Rom. de anno fere 1605.

1539. Et licet id sit regulariter verum; potest dari casus, quod etiam in nostris Regionibus censetur blasphemia hæreticalis, ex admittentibus, & circumstantiis: puta si quis dicat esse Sanctum, & Sanctissimum; si non raro, sed cum frequentia, ad omnem animi motum, etiam levem, & si alias blasphemias, ac maledictiones hæreticales enectat. His de causis in nostro Tribunali elapso anno 1701. fuit

declarata suspecta de levi; & trium annorum exilio punita mulier in hujusmodi blasphemiam dæmonii Sancti assuetam prorumpere.

CONVITIUM,

1540. **S**EU verbum contumeliosum in Deum, & Sanctos, semper est blasphemia, non sic in cæteras creaturas, nisi specialiter in eis Divina Bonitas releuat, ut in Cælo, & terra.

1541. Hinc, si sit contra ventum, pluviam, locum, bruta, &c. est maledictio, & imprecatio, quæ non est per se mortalis, nisi fiat cum expressa relatione ad Deum, aut cum deliberato desiderio damni proximi. Similiter de parentibus, & de aliis, quando filius, aut amicus mala imprecatur; quia regulariter id non solet procedere ex odio, sed ex impatientia impetu; peccat autem mortaliter contra charitatem, si adverterent, & delibet, gravia illa mala desiderarent.

Maltrius in Theol. Mor. disp. 11. quest. 3. num. 406. Bonac. tom. 2. pag. 252. Jan de la Cruz, pag. 151. Tamb. tom. 1. lib. 2. cap. 6. §. 4. Bufemb. lib. 3. tract. 2. cap. 1. Fenech. de Blasph. Bertaldus 1. Precept.

CAPUT II.

DE JURAMENTO.

1542. **J**uramentum, est invocatio tacita, vel expressa Divini Nominis, tanquam primæ, & insubstituibilis veritatis, in testem alicujus rei. Differet à voto. 1. Quia Deum ut testem respicit, votum ut objectum. 2. Quia votum non obligat, nisi sit de meliori bono; juramentum verò factum homini obligat, etiam si non sit de meliori bono, ratione fidelitatis: dixi: *Factum homini*; nam si fuerit juramentum promissorium factum Deo, sequitur naturam voti.

1543. Quando dicitur: *Juro hoc me facturum*, nihil aliud addendo, non est juramentum. *Allo, verb. Juram. ex Villal.* Quia non habetur invocatio expressa, aut tacita Divini Nominis. 1. Quia hoc verbum *Juro* est de se indifferens, & conjungi potest, tam cum invocatione Divini Nominis, quam cum invocatione alicujus creaturæ, in qua Divina Bonitas specialiter non releuat; ut *Juro per fidem hominis honorari*, &c. 2. Quia non habetur invocatio expressa Dei, ut constat; nec tacita, seu virtualis, qualis esset si fieret per Sanctos, aut per creaturas, in quibus specialiter Divina Bonitas, seu veritas releuat; quoniam nihil tale additur: corroboratur ex regulis juramenti.

1544. Quod est verum, nisi ex circumstantiis aliud intelligatur: nam, si interrogatus suo verò juramento de veritate; tu dicas: *Juro*, jam est determinatum ad juramentum.

1545. Non sunt juramenta: *In mea conscientia*; *Per fidem sacerdotis*; *Religiosi*; *hominis*

bo-

honorati. Mendo verb. *Juram.* quia non habetur respectus ad divinum testimonium, sed ad fidem humanam, & ad fidem, quæ præstari debet Sacerdoti, Religioso, Nobili, &c. Pariter: *In veritate ita est ex vi sermonis non est juramentum, nisi intendatur prima veritas.*

1546. Eadem ratione non sunt juramenta: *Sim infamis: Ampugetur mihi nasus, si mentior.* Gobat tom. 3. de *Juram.* num. 489.

1547. Sacerdos jurans coram Judice tacto peccatore Sacerdotali, præstat verum juramentum; quia ex communi acceptione, & usu, hæc forma jurandi exigitur à Judice cum respectu ad primam veritatem, ut testem.

1548. Dicere: *Dæmon sit Dominus anima mea: Me rapiat: Vivus non discedam hinc, si mentior;* sunt vera juramenta execratoria.

1549. Non sunt juramenta: *Giuro à Dio, per Dio, per vita mia, &c. che me l'hai da pagare.* Alloza, & Mendo cit. quia nec dicuntur animo jurandi, nec recipiantur ut juramenta, etiam à mulieribus; sed sunt quidam modi comminandi, & loquendi ad excandescendum alteri exprimentam, & indignationem.

Hujusmodi sæpè sunt juramenta muliercularum verberandi filios. Imò verum juramentum mortale non erit, si fiat ex vehementi ira, aut passione, ut jurans non plene advertat.

1550. At si dicas: *Per vitam meam,* non imprecando, sed enuntiando aliquid esse verum, vel falsum, est juramentum, non minus quam quando enuntias: *Per animam.* Pariter juramenta sunt: *Coram Deo, quia non mentior. Deus sit me dicere verum.*

1551. Hoc autem: *Deus sit meam conscientiam, si dico verum, si mentior,* non est juramentum; quia est propositio æquivoca, & semper servat veritatem, sive id, quod dicit, sit verum, sive falsum.

Imò dicere: *Testis est mihi Deus: Deus scis, quod dico;* si enunciatiæ tantum dicantur, ita ut solum intendas enunciare, quod Deus videt, non sunt juramenta, bene verò, si invocatiæ, ut intendas Deum in testem tui dicti invocare. Alarius, pag. 310. num. 14.

1552. Nec est juramentum ex vi sermonis: *Tanti Angeli venzuo all' anima mia, quante doppie avete voi;* nisi dicatur cum animo jurandi, quia non habetur respectus ad divinum testimonium, sed est modus loquendi, quo exaggerari solet quantitas pecuniarum alterius.

1553. Hoc verbum *par Deu,* quo solent idiotæ in Sicilia uti, non est juramentum; quia non intenditur invocari Deus, sed est verbum assumi solum ad propriam passionem exaggerandam. Imò plures id profertur materialiter tanquam Plitaci, nescientes, quid significet.

1554. Non est juramentum jurare per creaturas, in quibus nihil Divinæ Bonitatis specialiter re-

lucet, ut si dicas: *Juro per hanc barbam, per hanc vestem, &c.* quia non censetur adduci cum relatione ad Deum. Est autem juramentum, cum quis jurat per creaturas, in quibus Deus, aut ejus bonitas, specialiter elucet, nempe per Sanctos, per Sacramenta, per Cælum, & terram, animam, &c. quia tunc intelligitur ejus Creator, Inhabitor, &c.

1555. Jurare per creaturas ordinarias est juramentum, si adducatur in obliquo Deus: v. gr. *Juro per hunc panem Dei;* vel si intendat adducere Deum in testem.

1556. Quando quis ex industria unum digitum supra alium apponit, sed veram crucem non efformans dicit: *Juro per hanc crucem,* non est juramentum; quia non absolvetur per crucem, sed per crucem tunc efformatam, quæ revera efformata non est.

1557. Dicere: *Sicut Deus est verus, sicut verum est Evangelium, &c. Ita hoc est verum;* si intentio sit adducere divinam veritatem in testem, & insuper comparare humanam veritatem cum divina, ut illa sit tanta, quanta divina, est juramentum, & blasphemia. Si intentio sit adducere divinam veritatem in testem, at non comparare, bene verò aliquid veritatem humanam divinam assimilare, hyperbolicè loquendo, (ut communiter profertur) est juramentum, sed non blasphemia. Denique si intentio sit aliquid assimilare, at non adducere divinam veritatem in testem, sed solum enunciatiæ proferre, nec juramentum erit, nec blasphemia.

JURAMENTI DIVISIO.

1558. **D**ividitur. 1. In assertorium, quo aliquid affirmatur, vel negatur. 2. Promissorium, quo aliquid promittitur. 3. Contestativum, quo Deus simpliciter ut testis invocatur. 4. Execratorium, seu imprecatorium, quo Deus, non solum invocatur ut testis, sed ut sibi vel suis vindex, nisi sua dicta veritati respondeant: ut, si hoc non fecero, vel, si non est verum, tollat me Deus subitanea morte: & Comminatorium, quo quis alicui promittit malum pœna, v. gr. per Deum te verberabo: & in quo dicitur malitiæ speciem distinctam in confessione explicandam, una contra charitatem, qua vult alteri malum, altera contra reverentiam, qua ad illud abutitur authoritate Dei, qui malum abhorret.

JURAMENTI COMITES.

1559. **U**t licitè fiat, requiruntur tres comites, seu conditiones, veritas, iudicium, & iustitia. Jerem. 4. *Et jurabis: Vivit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Veritas consistit in hoc, quod res sit vera, aut ex gravi ratione, vel bona fide putetur vera. Iudicium, ut scilicet juramentum non fiat sine necessitate, gravi causa, aut utilitate, sed cum prudentia. Iustitia exposcit, ut quod juratur, sit res licita, & honesta. Si desit veritas, est peccatum mortale, & dicitur perjurium; perjurium enim est juramentum, cui desit ve-

ritas. Si desit iudicium, regulariter est veniale. Si desit iustitia, erit grave, vel leve juxta gravitatem, vel levitatem materia. Contra primam conditionem non potest dari parvitas materia; quia veritas consistit in indivisibili; bene verò contra secundam, & tertiam. Vide in pag. 4. Prop. 24. ab Innoc. XI. damn.

1560. In juramento promissorio, in intentione non datur parvitas materia, datur tamen in executione. Hinc, si jurans habeat animum non adimplendi, quod promittit, vel non promittendi; vel jurat impossibile, aut quod credit se facere non posse, peccat mortaliter ex defectu veritatis, seu animi adimplendi, quia est gravis irreverentia in Deum; si verò in executione, est summa, quam promittit, parum detrahat, non peccat mortaliter. Vide in pag. 4. Prop. 25. ab Innoc. XI. damn. Vide à num. 1605.

1561. Qui vover, jurat, aut contrahit matrimonium cum animo non se obligandi ad votum, juramentum, aut ad aliquid ex tribus bonis matrimonii, peccat; sed votum juramentum, aut matrimonium est invalidum; qui verò vover, jurat, aut contrahit matrimonium cum animo non exequendi votum, juramentum, aut tria bona matrimonii, sed impediendi v. gr. prolem, peccat; sed validè vover, jurat, aut contrahit. Ratio est, quia primus animus respicit actum primum, & substantiam voti, juramenti, & matrimonii; secundus verò actum secundum, qui accidit actui primo.

1562. Ad jurandum extra iudicium sufficit usus rationis, & ætas sufficiens ad merendum, & peccandum.

1563. Juramentum potest per Procuratorem præstari, nisi alius jure, aut consuetudine provisorium sit. Hinc non admittitur Procurator ad testificandum. Non sufficit autem generale, sed requiritur speciale mandatum; quia debet Procuratori constare, quod Dominus rem pro certa habeat, aut quod ex animo promittat; alioquin peccabit, & Dominus manebit obligatus, minime ex juramento, sed ex contractu ob facultatem generalem ad contrahendum, si contractus sit validus.

1564. Consuetus sæpè jurare cum veritate non peccat mortaliter.

Consuetus verò jurare sæpè verum, sæpè falsum sine advertentia, an sit verum, vel falsum; peccare mortaliter, & esse in statu peccati mortalis, nimis rigidè tenent plures. Inconculsa enim, & omnino certa est regula, ad peccatum actuale mortale requiritur, ut actus sit voluntarius; adeoque cum plena advertentia, & liberate.

Hic igitur non peccat mortaliter. Alarius pag. 311. num. 24. tenetur tamen sub mortali, fugere occasione proximam, puta ludum, aut familiaritatem ejus, qui est ei occasio sæpè sæpius peccandi.

Peccat autem mortaliter, qui advertenter jurat, si nullam rationem habeat, an id, quod jurat, sit

verum, aut falsum; quia periculo peccandi se exponit.

1565. Juramentum non adimplere in re levi est veniale.

Qui juravit recitare singulis diebus unum Ave, & in fine anni nullum recitavit, non peccat mortaliter: Qui verò juravit dare pauperibus singulis diebus unum obolum; in fine anni, si nullum dedit, peccat mortaliter; quia priores materia non coalescunt, bene verò posteriores: patet de eo, qui singulis diebus omittit materiam parvam Officii de præcepto, & de eo, qui singulis diebus unum furatur obolum. Idem dicit de voto.

1566. Paganus jurans falsum per falsos Deos, peccat mortaliter; non quia sit verum juramentum, cum non sit invocatio divini Numinis, sed in sui existimatione; quia putat esse verum juramentum. Sicut ex conscientia erronea peccat, qui violat præceptum, quod putat habere, licet revera non extet. Si autem postea paganus cognoscit suos Deos esse falsos, non tenetur amplius ad juramentum; quia revera nullum fuit, sed solum teneatur stare promissis ex fidelitate.

1567. Hinc peccat mortaliter, qui sine necessitate indicit paganum ad jurandum per falsos Deos, ut cooperator ad actum Religionis indebitum, si quod juratur, est verum; insuper ad perjurium, si quod juratur, sit falsum. Non peccat, si cum necessitate, & legitima causa. Alloza verb. *Juram.* Anton. à Spir. S. tom. 1. pag. 97.

1568. Pari ratione, peccas mortaliter, si inducist alium ad jurandum falsum, quod ille putat esse verum; ob irreverentiam, quam tu præstas Deo, quem revera invocare fecis ut testem falsi, licet ille à peccato formali excusetur ob bonam fidem.

QUÆRES:

1569. An liceat exigere juramentum ab eo, quem scis certo esse peccatum, vel juratum per falsos Deos?

1570. **C**ertum est. 1. Nemini licetè inducere alium ad falso jurandum, vel ad jurandum per falsos Deos; quia cum sit actus ab intrinseco mali, nulla ratione cohonestari potest eorum petitio.

1571. Certum est. 2. Non esse mortale, neque veniale, iusta existente causa, exigere juramentum ab eo, quem tibi non constat, esse falso juratum; aut per falsos Deos; quia in dubio delictum de nemine est præsumendum; aliis nunquam liceret.

1572. Certum esse debet. 3. Non esse licitum, sed mortale exigere juramentum ab eo, quem certo scis esse peccatum, aut per falsos Deos juratum; si nulla exter legitima causa; sive ille non sit paratus, sive paratus jurare; quia quilibet tenetur ex charitate, proximi peccatum vitare, si absque suo incommodo possit, ut de cooperatione.

Difficultas igitur est, necessitate, seu legitima causa existente.

1573. Esse tunc licitum, sive in iudicio, sive extra docent Tamb. tom. 1. lib. 3. cap. 1. §. 4. Anton. à Spir. S. & Doctores communiter apud illos; quia iusta causa excusat à culpa; quando exposcitur opus ex se indifferens, licet sciatur, illud opus cum peccato esse faciendum; & peccatum tributur ipsi juranti, qui potest illud non facere, quodque ipse petens non tenetur impedire cum suo detrimento.

1574. Iustam causam dicunt esse, in iudice; si exigat ratione officii. In persona privata, si exigat ratione sui iuris tuendi, vel exposcendi, fraudes detegendi, pacta firmandi, aut ex alia honesta causa. Et in Principe ratione fœderis firmandi. Ita docent Doctores communiter.

1575. Te tamen non pigeat legere, quæ D. August. tom. 10. serm. 2. de Decollat. S. Joan. Bapt. pag. mihi 321. scripsit. Audi quæso Augustinum.

„ Scribite in cordibus vestris, quod dico : Ille autem, qui hominem provocavit ad iurationem, & scit eum falsum esse iuraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam; imò duas animas, & ejus, quem jurare promovit, & suam. Scis verum esse, quod dicis, & falsum esse, quod ille dicit, & jurare compellitur? Ecce jurat, ecce pejerat, ecce perit : tu quid invenisti? Imò quia & tu peristi, qui de illius morte te te fatiare voluisti. Aliquid dicam, quod nunquam dixi charitati vestræ in hoc populo, quod contigit in hac Ecclesia. Fuit hic homo quidam simplex, innocens, bene fidelis, à multis vestrum, id est, Hipponensibus, imò ab omnibus cognitus, Tutuslymeni vocatus. Tutuslymeni quis vestrum non novit, qui estis cives? Ab illo audivi, quod dico. Nescio quis negavit ei, vel quod ei debebatur, & hominis fidei se commisit. Commotus promovit eum ad iurandum, juravit ille, iste perdidit; sed isto perdente, ille penitus periit. Dicebat ergo iste Tutuslymeni homo gravis, & fidelis, ipsa nocte se exhibitum fuisse ad iudicem, & cum magno impetu, atque terrore se pervenisse ad Præsidem excelsum quendam, & admirabilem virum, cui parebat officium similiter excelsorum; iustum fuisse perturbatum retro revocari, & interrogatum fuisse his verbis. Quare provocasti hominem ad iurationem, quem sciebas falsum esse juraturum? Respondit ille : Negavi mihi rem meam.

Respondit illi : Et nonne melius erat, ut rem tuam quam exigebas, perderes, quam animam hominis istius falsa iuratione perimeres? Prostratus est, iustus est cædi. Cæsus est tam graviter, ut in dorso evigilantis vestigia plagiarum apparerent. Sed dictum est illi : posteaquam emendatus es, parcior innocentie tuæ, de cætero cave ne facias. Fecit quidem ille magnum peccatum, & emendatus est, sed multo gravius peccatum faciet, qui post istum meum sermonem, & istam meam ad-

monitionem, & exhortationem, tale aliquid fecerit. Cavete à falsa iuratione.

His igitur præmissis.

1576. Dico 1. Licitum est personæ publicæ ut publicæ, minime personæ privæ, exigere iuramentum ab eo, quem certo scit esse pejeraturum. D. Bonav. in lib. 3. Sentent. dist. 39. art. 2. quæst. 3. & D. Thom. 2. 2. quæst. 98. art. 4.

Rationem desumunt ex auctoritate relata D. August. quia loquendo de persona privata (de qua loquitur Aug.) nulla potest assignari iusta causa; iusta namque causa maximè esset tuitio iuris, recuperatio rei, firmatio veritatis, &c. nihil autem horum, imò contrarium obtineretur per iuramentum falsum; eo inquam cum falsitate jurante, rem non esse tuam, tibi non debere, quod dicis, &c. rem tuam non recuperas, fed potius perdis; imò sine tua utilitate, insuper animam proximi perdis. Nec pura ratio privæ personæ dat ad id tibi jus. Eo ipso igitur, quod certo scis, aliquem esse pejeraturum, cessat iusta causa exigendi ab eo iuramentum; jus namque est tuendum cum fructu, aut cum spe fructus, minime cum certo damno, maximè alterius, sine ulla spe fructus.

1577. Hinc non alia ratione Doctores à peccato excusant petentem mutuum à mutuario, qui certo scitur muturaturus sub usuris, nisi ex necessitate, & utilitate, quam revera inde obtinet, ut in num. 372.

Tum quia tunc privata persona potest jus suum prosequi recurriendo ad Superiorem.

1578. Loquendo autem de persona publica, ut tali, adest iusta causa; quia Judex illud iuramentum exigit ex iuris ordine : & jus publicum, ac communis utilitas prævalet cuilibet juri privæ personæ; unde licet potest iuramentum exigere ab eo, quem certo scit esse pejeraturum.

Et licet Judex non prodesset privæ personæ læsæ per recuperationem rei, quam illa petit, prodesset communitati. Primò; quia hoc cedit in aliorum exemplum, ut ab injuriis, & injustitiis abstineantur, ne in has angustias deveniant aficiendi se, si non pœna corporis, pœna animæ, falso juramento. Secundò, quia, si non possit licet Judex exigere iuramentum ab eo, quem certo scit esse pejeraturum, possent perversi fingere se certo pejeraturos, ut sic à iudicis interrogatione eximerentur; quod cederet in maximum Reipublicæ damnum. Ecce in persona publica publicam utilitatem, iustam causam.

1579. Dico 2. Licitum est, tam personæ publicæ, quam privæ, necessitate, seu iusta causa existente, exigere iuramentum à pagano, quem certo scit esse juraturum per falsos Deos. D. Bonav. & Doctores omnes cit.

Ratio est; quia talis petitio juramenti à pagano, quam facit Christianus ad tuendum jus suum ad firmum reddendum contractum, pactum, &c. est utilis, tam ipsi personæ privæ, quam communitati fi-

de-

DE VERITATE PHYSICA, AUT MORALI,

1582. **E**T de certitudine ad veritatem requisita plenè agit Scotus 3. dist. 39. quæst. unic. §. Quantum ad secundum, & clarè. Tamb. lib. 3. Decal. cap. 2. §. 1. ubi distinguit certitudinem moralem ex parte rei jurate, & ex parte jurantis.

EX PARTE REI JURATÆ

1583. **H**abetur, si res, de qua fit iuramentum, ita se habeat secundum sensum humanum, & communem acceptationem, aut consuetudinem.

Hinc (ait Tamb.) non est condemnandus Paro- chus; si testificetur, suum Clericum frequentasse toto anno Ecclesiam, cum tamen per majorem partem anni partem divinis officis alteriter; id enim est moraliter toto anno frequentasse. Idem dicit de Scholasticis, si testificentur, aliquem ex suis Scholasticis simili modo frequentasse: excipit, nisi fortè Universalitatis, vel Ecclesiæ constitutiones requirant annum mathematicum.

1584. Excusavi olim Sacerdotem jurantem, se in Parochia per Hebdomadam Majorem Confessionibus excipiendis operam dedisse, juxta Edictum Episcopi, sub excommunicatione læta sententia; id præcipiens; excusavi autem ex præfata doctrina, quod licet per aliquem diem absuerit, moraliter tamen semper adfuit; unde etiam ab excommunicatione liberavi. Quid si is in alia, & non in Ecclesia Parochiali, confessiones audisset? Excusassem etiam non invitus; quia jam suum munus utiliter, saltem per æquivalentes, obisset: Multò magis, si id fecisset in sua Ecclesia, ubi fortè serviebat; et enim, ejusque servitio non censendus est Episcopus præjudiciale voluisse.

1585. Potiori jure in nostra Religione excusarem lectorem jurantem se per decem integros annos Sacram Theologiam perlegisse, si per septem integros menses singulis annis legisset. Insuper jurantem, se integro lætana Philosophia triennio satisfecisse, si Philosophiam, aut ejus partem non perlegisset, sed per par tempus lectura Theologiae supplivisset; quia in nostra Religione annus lecturæ consistat debet ex septem integris mensibus, & lectura Logicæ suppleri potest per Philosophiam, & Philosophiæ per Theologiam, ut notat Melphi super Constit. cap. 5. stat. 12. q. 3. & 4.

1586. Hæc etiam (ait Tamb.) locum habent in iuramento promissorio, comminatorio, &c. Ut 1. Si jures alicui infinitas gratias te acturum. 2. Si mater juret, filium rixantem se occisuram, caput fracturam, & dominus famulos puniturum. 3. Si urbanitatis causa juret, te primum non egressurum de janna, non transiturum per viam; quia ad horum veritatem sufficit, ad 1. ostensum extraordinariæ gratitudinis. Ad 2. punctio filii qualicumque, etiam si sit reprehensio. Tum quia regulariter intervenit causa ab executione excusans, puta emendatio, domus

T 2

tur-

turbatio, amici intercessio, ejus, ad favorem cujus fuit juramentum emissum, remissio, &c. Ad 3; animus qualis qualis non ingrediendi, non transeundi: unde non peccas, si non adimpleas; hæc namque per illa verba secundum sensum humanum, & acceptationem intelliguntur. Ita docet Tamb. Idem die de Juramento puerorum accusandi condiscipulos apud præceptorem.

EX PARTE JURANTIS.

1587. Certitudo moralis adest, quando jurans prudenter putat, rem ita se habere, non levi conjectura ductus, sed certa, verisimili, aut probabili. Quo præmissis.

1588. Dico cum Scoto cit. In odiosis, puta in contractibus, & quoties est periculum damni proximi, non potest quis jurare absolute rem esse, aut non esse, nisi addit certitudinem scientiæ, seu physica.

In favorabilibus verò, in quibus nullum adest damnum, & præjudicium tertii ad absolute jurandum sufficit certitudo moralis, seu credulitas.

1589. Ratio est; quia in odiosis juramentum habetur pro certo, in favorabilibus habetur pro credito. Injustum enim est in odiosis, ut detur sententia physicè certa penæ physicae mortis, damni, &c. pro testimonio credito, seu moraliter, non physicè certo. Quæ ratio cessat in favorabilibus, adeoque datur locus favori, ut sufficiat certitudo moralis, seu credulitas. Quod probat ex Decretali, lib. 1. tit. 12. de Scritinis in Ordine faciendis, cap. unic. Ubi dicitur, quod Archidiaconus testificans Episcopo, promovendum esse dignum ad Ordinem, non peccat, licet non physicè certo sciat, sed solum sciat, quantum humana fragilitas sinit noscere, seu ex iudicii probabilibus; quod est testimonium de credulitate. Unde sequitur Scotos.

1590. In promotionibus igitur talibus, sive ad Ordines, sive ad quasvisque dignitates, &c. puta in Universitatibus ad magistratum, in Religionibus ad prelacionem, vel ad aliquos alios actus, si sit consuetudo approbata quod tales responsiones sub juramento præstito, vel sub fide data, vel sub obedientia promissa, non debent intelligi, nisi de credulitate, quantum sinit humana fragilitas noscere, cum illum, quem non novit indignum, debeat estimare dignum; omnes tales responsiones debent intelligi de illo secundum consuetudinem communem, nec respondentes peccant in aliquo, quamvis sic promotus non sit dignus.

1591. Ritè autem Tamb. advertit, quod licet ad prudenter, & sine peccato operandum sufficiat probabilitas bonæ actionis; ad jurandum verò, ob reverentiam juramenti, non quævis probabilitas sufficit, sed ea, quæ certitudinem moralem pariat, quæ scilicet, quamvis non pariat evidentiam physicam, ita firmat prudenter intellectum in illam partem, ut nullam prudentem formidinem relinquat de opposito, sed metaphysicam, minimè practicam, nisi levem. Explicat exemplo.

1592. Probabile est, Sacerdotem Religio-

sum aliàs consuetum quotidie celebrare, hoc mane celebrasse: postquam ergo sine culpa mendicari, & prudenter affirmare, eum Missæ Sacrificium hoc mane obtulisse: At non postquam id ipsum juraret; quia licet probabile sit, non est tamen certum; quod si accedat dictum alicujus fidedigni, a quo mihi testatus sit, vidisse illum Sacerdotem hoc mane celebrantem, possem jurare; quia tale testimonium facit rem moraliter, & suo modo certam.

1593. Unde Scoto cit. ait: Universaliter autem, sive in favoribus, sive in odiosis, jurans de illo, cujus oppositum magis credit, vel de illo, de quo est dubius, id est, quod non magis assentitur uni parti, quam alteri, peccat mortaliter; quia adducit Deum tanquam testem ejus, quod neutro modo est sibi certum, quod deberet esse certum.

1594. In favorabilibus igitur requiritur, & sufficit certitudo moralis; etiam in iudicio, quando petitur informatio personæ, v. gr. de vita, fama, & similibus; quia cum non intentatur a Jure (ait Tamb.) certitudo de visu, satis est certitudo moralis ex auditu; ex Sanchez; siquidem metaphysica, & omnimoda de his, nec haberi, nec dari potest.

1595. Et hoc maximè, si petatur informatio de parentatu, puta de avis, & de longo tempore, videlicet 50. aut 60. annorum; tunc, ut quis testetur, eos esse bonæ famæ, bonos Christianos, &c. sufficit, ut non noscat eos esse in aliquo Tribunali, aliquo delicto, aut errore notatos, nec rumorem de illis, & malam famam audierit.

1596. Insuper subdit cum Hurtado: Scholasticus volens probare cursum, ad quod eget duobus testibus, adhibere potest duos amicos, qui illum non viderunt interesse lectionibus, sed satis sibi persuadent, illum interfuisse: at non possunt jurare, se id vidisse.

1597. In contractibus autem, & negotiationibus humani commercii, ac in Sententiis ferendis, etiam si agatur de favore, & innocentia, non sufficit certitudo moralis, qualis est ex auditu, etiam fidedignissimi; ratio est, quia in illis Judex juridicè interrogans, intendit interrogare, non de quacumque certitudine, sed de certitudine scientiæ; intendit enim interrogare testem, ut per eum habeat simplicem probationem; quam non facit certitudo moralis unius testis ex auditu cujusvis fidedigni; quam intentionem legitime habet Judex ob bonum publicum, cui cedit privata utilitas; testis autem juridicè interrogatus tenetur respondere juxta mentem Judicis legitime interrogantis, alioquin ruent omnia humana judicia.

1598. Hinc (ait Tamb.) quod, si quis fidedignus carens testibus adhiberet duos testes ad recuperandum suum creditum, quod ei à debitore negatur: hi testes deponeret de certa scientia crediti, non tenerentur quidem ad restitutionem; quia cum essent moraliter certi de credito, non peccarent contra justitiam commutativam; peccarent tamen mor-

taliter contra fidelitatem; non testificantes ad mentem Judicis; qui quidem non intendit certitudinem moralem, sed scientiam physicam.

ACCEPTILATIO
1599. EST habitio rei pro recepta, quæ dupliciter contingere potest cum juramento: Ita Tamb. cit. cum quo.

Primo: Creditor in pecuniam, aut dotem contra Paulum volens remittere, aut gratis donare; jurat coram Notario, se pecuniam, aut dotem recepisse. Licet jurat; quia ex communi acceptatione, & consuetudine, tunc verba non sumuntur, ut significant propriè; quia tunc esset perjurium: sed impropriè, quatenus pro receptis habet; & talis acceptilatio æquivalet veræ receptioni. At, quando jurat, habere debet animum verè remittendi, alioquin erit mendax, & perjurus.

1600. Cum hoc autem fiat, quod possit certam spem, aut moralem certitudinem habere, quod ille non sit remissionem acceptaturus, aut quod sit statim retrodonaturus; quia per hoc non tollitur, quin verè remiserit.

1601. Imò potest, antequam juret, cum illo paciscere, quod non acceptet; aut quod post horam, diem, &c. retrodonet, dummodo exinde nullum sequatur præjudicium tertii.

1602. Secundo: Creditor in pecuniam, certus de fidelitate sui debitoris; jurat coram Notario, se pecuniam ab eo recepisse, licet jurat; quia hic requiritur sola certitudo moralis, & jam creditor est moraliter certus, quod debitor sit proximè solutus, & quæ sumus moraliter certo habituri, moraliter, & juxta humanum modum loquendi, nunc habere dicimur.

1603. Tertio: Petrus Creditor Pauli in centum, debet Antonio alia centum; ne autem Antonius intenter sequestrum, & pro se exigere centum, quæ debet Paulus Petro; Petrus jurat coram Notario, se recepisse dicta centum à Paulo, quæ revera non recepit, sed solum habet pro receptis. Licet jurat, si jus Antonii sit incertum, aut Petrus habeat jus non solvendi illa centum Antonio; quia jus Petri in centum contra Paulum est certum, jus verò Antonii in Petrum non est certum: unde Petrus habet jus reddendi tutum suum creditum contra Paulum; quilibet enim habet jus tuendi suum, omni majori securitate, quæ potest. Et huic acceptilationi faveat consuetudo.

Si verò jus Antonii in centum contra Paulum est certum, & Petrus non habet aliunde jus non solvendi ea Antonio, acceptilatio est injuriosa, & mortalis contra jus Antonii, de recuperando suum omni meliori modo, quo potest. Imò ipse Paulus dicte acceptilationi consentiens, eandem rationem peccaret mortaliter, si id ei constaret: At si id nesciat, potest licet ei consentire; quia potest putare, Petrum habere ad id jus; quia nemo judicandus est malus,

nisi certo constet, & sicut potest ipsa centum solvere Petro, ita potest confessionem receptionis à Petro acceptare; nam Paulus est obligatus satisfacere suo creditori, & non quærere aliorum jura contra creditorem. Ita Tamb.

DE OBLIGATIONE JURAMENTI PROMISSORII.

1604. Juramentum promissorium est multiplex, videlicet: Dolosum; Incautum; Per se stans, aut confirmans contractum; Coactum; & errore, vel dolo extortum.

JURAMENTUM DOLOSUM

1605. Tripliciter fieri potest. 1. Quando quis jurat sine animo jurandi. 2. Sine animo se obligandi. 3. Sine animo adimplendi. Vide man. 1560. 1561.

1606. Certum est. 1. Quod, qui intendit verè jurare, habet virtualiter animum se obligandi, quia obligatio vel est de essentia, vel passio inseparabilis juramenti. 2. Quod jurans cum animo non adimplendi peccat mortaliter ex defectu veritatis; qui enim se obligat ad aliquid, & simul habet animum illud non implendi, mentitur, & tenetur adimplere. 3. Quod jurans sine animo jurandi, aut cum animo expresso se non obligandi, non tenetur in foro interno adimplere, licet possit in foro externo cogi; quia revera non jurat, sed simulat, & nulla actio humana obligationem inducit sine voluntatis consensu; & voluntatis consensus non habetur, si non habeatur intentio faciendi id, quod obligationem causat.

1607. At qui sic juravit puellæ, se eam ducaturum in uxorem, quæ ob id passa sit violari; tenetur eam ducere, nisi conditio sit valde dispar. Alloza verb. Juram. num. 52. Difficultas tamen est, an jurans sine animo jurandi, aut cum animo expresso se non obligandi, peccet, & quomodo?

Et quidem certum est cum Scoto in 3. dist. 39. quæst. unic. K. quod, si hic juret sine animo adimplendi rem promissam, peccet mortaliter; quia ex una parte mentitur, nam verbis promittit ducere, & interius habet animum non dandi. Ex alia parte, licet revera non juret, cum habeat animum non jurandi, seu non se obligandi, fingit tamen jurare; sic autem nominare Deum in testem falsi, est gravis Dei irreverentia; sicut enim prima veritas non potest sine gravi irreverentia, & peccato sicte, & simulatè verbis externis negari; ita neque sicte, & simulatè verbis externis in testem falsi invocari.

1608. Si verò hic juret cum animo adimplendi, sed solum sine animo jurandi, & se obligandi; cum peccare mortaliter, si sic juret in iudicio, docet communis; quia quilibet in iudicio respondere tenetur secundum mentem Judicis legitime interrogantis, Judex verò petit verum, non fictum juramentum.

Item

Idem tenet Com. in contractibus, ubi agitur de damno tertii.

1609. Extra autem iudicium, cum peccare solum venialiter, tenet Cardenas *dissert.* 18. Ant. à Spir. S. tom. 1. *tract.* 5. *disp.* 1. num. 61. 63. Tamb. *lib.* 3. *cap.* 3. §. 1. num. 6. Alarius de *Juram.* pag. 313. num. 35. & alii apud ipsos; quia Deus recipit iuramentum, prout ex corde procedit, *cap. Humane aures* 22. *quest.* 5. Et in hoc casu non adest mendacium, sed verum, nec adest iuramentum cadens supra falsum; Non adest mendacium, sed verum; quia verbis externis, quibus rem promittit, correspondet animus internus implendi; ex hoc autem, quod non habeat animum jurandi, & se obligandi, solum sequitur, quod iuramentum non sit verum, sed fictum; adeoque non datur iuramentum cadens supra falsum, & mendacium, quod solum daretur, si tunc iuramento reflexo diceret: *Juro me jurare*, sola autem fictio iuramenti, seu simulatio invocationis Divini testimonii, qui est actus Religionis, non est gravis irreverentia, sicut regulariter non est gravis irreverentia, nec inde mortalis, sed venialis, fictio orationis, & simulatio Sanctitatis, ex D. Thom. 2. 2. *quest.* 111. *art.* 4. ubi docet: *Non tamen semper ipsa simulatio est peccatum mortale; sed quandoque veniale, quod discernendum est ex fine, qui si respiciat charitatem Dei, vel proximi, erit peccatum mortale, puta cum simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur ecclesiasticam dignitatem indignus; vel quancunque alia temporalia bona, in quibus suam consistit.*

1610. Idem dicunt de contractibus, in quibus nullum sequitur damnum tertii; quia in contractibus id, quod magis vitari attenditur, est damnum tertii.

1611. Dico autem, eum etiam extra iudicium semper peccare mortaliter. Cajet. 2. 2. *quest.* 89. *art.* 7. *ad 4. dubium.* Et novissimè post hæc scripta pro mea sententia reperio Didacum de la Fuente Hurtado *dissert.* 13. *cap.* 5.

Ratio est; quia qui jurat sine animo jurandi, & se obligandi, licet cum animo implendi, assumit mendaciter nomen Dei ad decipiendum proximum, cum notabili injuria communitatis; adeoque peccat mortaliter. Suadetur. Hic namque, licet non committat mendacium circa materiam iuramenti, committit mendacium in ipso formali iuramento; nam verbis externis dicit se jurare, & interius habet animum oppositum, & revera non jurat.

1612. Insuper ista ficta, & mendax invocatio divini testimonii ordinatur ad decipiendum proximum, cum notabili injuria communitatis; quia omnino periret fides humana, & religio, quæ habetur iuramentis. Hinc haberetur gravis irreverentia Dei, & notabilis injuria communitatis.

1613. Inde fit, ut sententia opposita non parum scandalum Reipublicæ afferat; nam ea data, cum etiam viri timorati, & minima causa, sint faciles ad venialia, omnes possent faciliter ea uti, ex quo nullus amplius

in humanis commerciis, & societatibus tutus esset de iuramentis, & sic ruerent, aut suspecta redderentur humana commercia; quod cedit in grave damnum Reipublicæ.

1614. Item iuramentum, & invocatio Divini testimonii, qui est actus Religionis, extra iudicium redderetur ridiculum, non enim majorem fidem præstaret quia simplici alterius dicto, quam ejus iuramento.

1615. Ceterum in casu metus, injuriæ, & coactionis; ut si iuramentum extorqueatur à latronibus, potes etiam sine veniali jurare sine animo te obligandi. Alarius *cit.* dummodo utaris æquivocatione externa ad vitandum mendacium circa formale iuramentum; quia tunc cessant inconvenientia præfata; & injuria dat actionem, & justitiam ad id. Imò, & ipse injuriis facit id de jurante præsumere potest.

1616. Jurare autem sine necessitate cum amphibologia, & restrictione non purè mentali, sed externa, extra iudicium, & sine gravi damno tertii non esse mortale, sed veniale docet Alloza *verb. Juram.* num. 4. cum Diana, & Sanchez.

JURAMENTUM INCAUTUM

1617. **E**ST illud, quod cadit supra materiam illicitam, aut vanam, aut indifferenterem, vel de se licitam; iuramentum tamen super ea cadit negativè, seu abjurativè. Exemplum primum: Ut si jures facturum malum proximo. Secundum: Si jures non facturum opus perfectionis: opus misericordiarum, charitatis, non daturum elemosynam, mutuum non sive jussurum, &c.

1618. Iuramentum incautum non obligat; ratio de primo constat quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, aut levitatis, etiam si sit de malo levi. Et reg. 58. *Juris in 6. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.*

1619. De secundo; quia ponit obicem motioni Spiritus Sancti, & excludit opera virtutis. Imò si jurs peccat, tam jurando, quam implendo; & quidem mortaliter, si res sit graviter mala; ut si jures, te alium occisurum. Vel res licita sit graviter præcepta; ut si jures, te non auditurum Missam die festo. Secus, solum venialiter peccas. At si jures te facturum malum, sine animo adimplendi, peccas mortaliter ex defectu veritatis in intentione, etiam si malum sit leve. *Vide num.* 1541. 1586.

1620. Iuramentum de non accedendo, vel accedendo, absolute, & generaliter emissum est invalidum; quia comprehendit rem malam. Ratio primi; quia sapè communi bono accusare expedit. Ratio secundi; quia pluries accusatio est contra charitatem; aut prudentiam, aut est materia odii, & vindictæ. Emissum autem in casu particulari, quo non accusatio, vel accusatio est licita, valet.

1621. Item Iuramentum de non incedendo per mare.

mare, de non transeundo per hanc, aut illam viam, &c. non obligat; quia est de re indifferenti, non cedit in Dei honorem, nisi sit ei adjuncta circumstantia honesta: v. gr. si talis transitus esset occasio peccandi.

1622. Iuramentum autem de re indifferenti, licet per se non obliget, obligat, si fit factum homini, & in ejus utilitatem; quia in iuramento promissorio factò homini spectatur id, quod est gratum homini, non quod est melius, ad differentiam iuramenti, & voti facti Deo, in quo spectatur, non opus indifferens, nec simpliciter bonum, sed melius, seu non impeditivum majoris boni; unde tunc in iuramento de re indifferenti Deus non est acceptor, sed solum testis. *Vide num.* 1542.

1623. Hinc, si jurasti non vendere minoris, & non emere plus; ex se non obligaris. At, si id cedit in utilitatem tui filii, aut tertii, cui, quod minus, proveniat, cuique id promissisti, obligaris, si tuum iuramentum fuit ab illo acceptatum.

1624. Iuramentum factum de re opposita rei per aliud iuramentum promissa, non obligat; imò peccas si secundo juras, quia est de re mala. Hinc, si jurasti sponsalia, imò etiam si ea promissisti sine iuramento Bertæ, non valet iuramentum de duenda alia; quia hæc secunda promissio, licet quantum est ex se sit bona, ex vi tamen prioris promissionis, aut iuramenti est reddita mala. Idem dic de Voto.

1625. Jurasti te ducturum Rosam, quæ promissio fuit acceptata: postea jurasti te ducturum Annam, inde Rosa voluntariè suam promissionem remisit: Non teneris ducere Annam. Tamb. *pag.* 86. num. 8. quia secundum iuramentum fuit invalidum. Et ex reg. 18. *Juris in 6. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.*

1626. Jurasti dare Paulo, quod promiseras Petro, qui acceptavit, non potes adimplere; imò iuramentum non tenet contra simplicem promissionem acceptatam.

1627. Iuramentum de re nimis prodiga obligat ad partem, que prodiga non est, minimè quoad excessum; quia quoad illum est mala, saltem venialiter, adeoque sine peccato adimpleri non potest. Hinc iuramentum de dando centum aureos meretrici est minuendum intra lineam liberalitatis, aut justitiæ, juxta consuetudinem conditionis personæ jurantis, & meretricis.

1628. Iuramentum de dando pretio simoniæ non obligat; quia donatio simoniaca est prohibita Jure Canonico, & Divino.

1629. Iuramentum à conjugibus ex iracundia factum de non se petendo ad invicem, non tenet. *Cap. Tua nos, de Jurejur.*

1630. Quando materia iuramenti est partim licita, partim illicita: partim possibilibus, partim impossibilibus: servandum est quoad partem licitam, & possibilem; quia ex reg. 37. *Juris in 6. Utile per inutile non vitatur.*

1631. Pater jurans, se verberaturum filium, & Dominus, se puniturum servum, peccat mortaliter, si juret cum animo non adimplendi; regulariter excusatur inconfideratio, ut in *num.* 1541. si verò juree cum animo adimplendi, si postea, voluntate mutata, id non exequatur, non peccat, si eam causa; ut si judicet id non expedire, ne turbetur domus, & solum venialiter, si mutatur sine causa; quia id omittere est quod leve, & modicæ considerationis. *Vide num.* 1586.

1632. Quoties igitur iuramentum est de re mala, utique non obligat, quia non est vinculum iniquitatis; nec tunc habet locum reverentia iuramenti, quia uti auctoritate Dei ad malum agendum est summa irreverentia, hinc universaliter iuramentum de re mala, imprudenter, aut exclusiva actus honesti, & virtutis non obligat.

QUÆRES:

1633. *Magistro, qui tibi aperuit secretum artis, puta medicaminis, jurasti illud non manifestaturum: an adhuc poteris illud alteri aperire?*

Resp. cum Tamb. *pag.* 90. num. 65. cum distinctione: Nam vel manifestatio illius secreti cedit in damnum, aut præjudicium magistri; quatenus ille ea arte vivit, & secretum illud ei ad sustentationem, aut æstimationem suæ periciæ conducit: Et aliunde per eum, aut alia medicamina in casibus occurrentibus possit satisfieri infirmis: Vel secus: Si primum, non potes licitè aperire secretum; quia est contra jus tertii, justum namque est, ut quis, maxime magister lucrum ex sua privata scientia reportet. Si secus, potes; quia tunc iuramentum non obligat, cum sit de re contra charitatem, & in præjudicium Reipublicæ, aut tertii, cujus bono non providetur.

JURAMENTUM PER SE STANS

1634. **D**icitur, quod contractui, cui adjacet, nullam aliam obligationem confert, nisi propriam Religionis.

JURAMENTUM CONFIRMANS CONTRACTUM

1635. **D**icitur, quod contractui, cui adjacet, ultra obligationem Religionis, confert obligationem justitiæ.

1636. Et quidem certum est, iuramentum non posse confirmare contractus jure naturæ invalidos; hoc namque aliud non esset, nisi reddere validos contractus in se jure naturæ invalidos; quod facere non potest, nec ex se, nec ex juriibus. Non est sey quia ex se, cum sit actus Religionis, non potest obligationem justitiæ, sed solius Religionis inducere. Non ex juriibus; quia (ut ponderat Tamb.) id esset tollere bona uni, & applicare alteri, quod jura humana facere non possunt generaliter, sed in casibus necessariæ reparationis, & subventionis boni communis, & Reipublicæ.

1637. Difficultas igitur solum procedit de contractibus validis, sed jure positivo rescindibilibus, & invalidis jure positivo.

1638. Prima sententia affirmat, juramentum confirmare contractus, ita ut duas obligationes inducat, Religionis, & justitiæ commutativæ, taliter quod, si contractus est validus, sed rescindibilis, non possit rescindi, nisi prius relaxato juramento. Si est jure positivo invalidus, non reviviscere faciat, redat validum, & transferentem dominium. Adducunt exemplum. Alienatio fundi dotalis facta ab uxore est jure positivo invalida, si autem uxor addat juramentum, fit valida, ita ut etiam juramento relaxato, adhuc teneatur uxor ex vi justitiæ stare alienationi, nisi post relaxationem juramenti, etiam ipsa alienatio à Judice rescindatur. *Onate de Contr. tract. 4. disp. 21. sect. 4. Ant. à Spir. Sanct. tom. 1. tract. 4. d. 1. sect. 16. & plures apud eos.*

1639. Secunda sententia, quam teneo, negat, *Tamb. tom. 1. lib. 3. cap. 3. s. 6. cum pluribus.*

Dico igitur, juramentum nullum confirmare contractum; ac proinde contractui jure positivo invalido, aut valido, sed rescindibili, solum addit obligationem Religionis, minimè justitiæ commutativæ, nec transfert dominium. Et ita, juramento relaxato, non tenetur amplius uxor stare alienationi fundi dotalis.

Ratio est quæ supra. Nam juramentum id non habet ex se, nec ex jure. Non ex se, ut ostensum est. Eo maximè, quia est accessorium, adeoque contractum relinquit, ut est in se. Non ex jure; quia jura Canonica, quæ adducuntur, expressè nihil aliud dicunt, nisi quod servari debeant, si sine dispendio æternæ salutis servari possint, ut in *cap. Ad aures 3. & Cum dilectus 6. tit. de Jurejurando*. Quod optimè verificatur, si juramentum servetur ex vi Religionis; & onus justitiæ cum sit odiosum, non est sine expresso jure præsumendum. Adde, plura jura expressè dicere, præmissos contractus esse servandos in reverentiam juramenti.

1640. Ex his sequitur, non dari juramentum confirmans contractum.

His præmissis pro quovis contractu, sive jure naturæ, sive jure positivo invalido, fit

REGULA GENERALIS CERTA:

1641. **J**uramentum observandum est, & obligat, quoties sine dispendio æternæ salutis, & sine alterius præjudicio servari potest. Cap. Si verò 8. cap. Cum contingat 28. tit. de Jurej. & cap. Quantus 2. de Pactis in 6.

1642. In casu igitur juramenti cadentis supra contractum invalidum, contractus est servandus saltem per momentaneam solutionem, quæ statim recepti potest. Unde, si usuras solvere jurasti, teneris solvere, ob reverentiam juramenti, *ex cap. Debitores 6. quia illud potest sine peccato servari, ut modo distansam: at potes statim pecuniam solutam repetere;*

quia contractus usurarius est jure naturæ invalidus, & juramentum dominium non transtulit rei tuæ, quia minimè obligationem justitiæ commutativæ contractui contulit, sed Religionis, cui per momentaneam dationem satisfic. Imò Juramentum de non repetendis usuris à mutuario factum non tenet, *cap. Tuas, de Usuris*. Et hæc est ratio, cur in hujusmodi contractibus invalidis juratis, qui recipit, tenetur statim restituere, quia titulum justitiæ non habet, sed injustitiæ.

1643. Qui igitur juravit usurario solvere usuras, obligatur solvere. Nec sequitur, quod juramentum esset vinculum iniquitatis; quia mutuo semel accepto, & juramento factio (quamvis acceptio, & juramentum fuerint illicita, quatenus non extabat necessitas, aut erat alius, qui mutuasset sine usuris) non est de re illicita, quæ, sine peccato impleri non potest, nam solvere usuras non est peccatum, sed recipere: hinc usurarius etiam mentalis ad restitutionem tenetur, quia injustè recipit. *Vide num. 372.*

1644. Nec, qui solvit, cooperatur alterius injuste acceptio; quia ex una parte hic solvit ex justa, & rationabili causa, videlicet ob reverentiam juramenti, & ut sit fidelis; & ex alia ille potest non recipere usuras, & juramentum remittere; Insuper potest Superior ante solutionem juramentum relaxare; imò ipse mutuatarius petere, ut relaxetur.

JURAMENTUM COACTUM

1645. **E**ST, quod fit per vim, & metum; aut cadit supra contractus per vim, & metum celebratos.

Non est sermo de metu levi; quia hic cum facilliter rejici possit, nullo pacto invalidat: sed de gravi cadente in virum constantem, de quo actum est in imped. 7. Matr. nec de intrinseco, aut extrinseco justo, sed de metu gravi injustè incusso à causa extrinseca libera, videlicet ab alio homine, ad finem extorquendi contractus, aut juramentum, de quo ibid. & de Monialibus num. 1400. & de Voto num. 1800.

1646. Dico 1. Contractus ex præmissis metu gravi celebrati, si accedat juramentum, sunt servandi saltem per momentaneam solutionem, si sine peccato servari possunt; at qui est metum passus, potest statim data repetere; quia tales contractus sunt invalidi jure naturæ, ut dictum est in Conte. Imò ob injuriam potes prius juramenti relaxationem petere, & inde non solvere; quæ relaxatio, si juramentum potest sine peccato servari, non debet faciliter fieri, sed difficulter, *ex cap. Ad aures 3. & Cum dilectus 6. tit. de Us. quæ vi, metusve causa sunt, ex illis verbis, quod servari debeat, absque spe relaxationis facile obtinenda, nisi metus fuerit incussus supra ipsum juramentum.*

1647. Hinc, si ex metu promissisti latroni dare pecuniam pro tua liberatione, & jurasti, satisfacies per momentaneam solutionem, & statim potes repetere;

tere; insuper potes ob injuriam, juramenti relaxationem petere, & non solvere, dummodo petitio fiat intra terminum præfixum, non jam finitum.

1648. Qui metu gravi, coactus juravit latronibus dare lytrum, hoc est pretium redemptionis; si habuit intentionem non se obligandi, non obligatur stare juramento, sed moraliter peccavit sic jurando, ob defectum veritatis, qui nullo metu excusari potest, cum fit intrinsece malus: si habuit intentionem se obligandi, obligatur in conscientia ob reverentiam juramenti, *ex cap. Debitores, de Jurejurando: & ex cap. Humano aures 22. cap. 5. Deus accipit juramentum, prout ex corde procedit; forus autem judicialis eum non obligat; nam stante metu, præsumit, eum non jurasse animo adimplendi, sed potius evadendi periculum. At in foro conscientie obligatur, (ut bene advertit D. Thomas) non ob obligationem factam homini, quia hæc, utpotè coacta, esset nulla, sed ob obligationem factam Deo, ad implendum quod suo nomine promissit. *Vide num. 1737. Potest tamen, uti prædicto remedio de num. 1647.**

1649. Solum juramentum ex metu gravi extortum non obligat, si fit de matrimonio, aut sponsalibus ineundis, ob rationem specialem matrimonii, quod ex jure cap. Significavit, de Eo, qui duxit in matrim. cap. Requisivit, & cap. Gemma, de Sponsalibus, debet esse omnino liberum, perfectè voluntarium, & non coactum; juramentum enim sequitur naturam contractus, cui apponitur.

1650. Qui injuste in carcere detinetur, si obtineat licentiam exeundi cum juramento de redeundo, non tenetur redire, si adit periculum probabile mortis injustæ; quia juramentum non est vinculum iniquitatis.

1651. Qui verò detinetur captivus apud infideles, si obtineat accessum ad patriam sub juramento de redeundo, tenetur redire, ob scandalum, quod aliis daretur infidelibus de irreverentia contra Religionem.

1652. Dico 2. Si contractus fuerit spontaneè celebratus, & juramentum pariter spontaneum fuerit, sive adjectum fuerit contractui rescindibili, sive invalido, tunc illi non satisfic per momentaneam solutionem, sed per perpetuam; quia tunc contractus est initus cum pleno consensu, & sine injuria metus, aut doli, unde debet perpetuo servari, minimè titulo justitiæ, sed Religionis, nisi juramentum relaxetur, ad quod requiritur causa, ut infra de Relaxatione.

JURAMENTUM ERRORE, VEL DOLO EXTORTUM

1653. **E**ST illud, quod cadit supra contractum errore, vel dolo celebratum.

1654. Error est duplex, antecedens, & concomitans. Antecedens est ille, qui est causa contractus, ita ut sine eo contractus non fieret. Concomitans, qui non est causa contractus, ita ut sine eo adhuc contractus fieret.

1655. Error versari potest, vel circa substantiam, vel circa accidentia contractus. De substantia contractus est omne id, sine quo contractus non potest subsistere, & contra accidens. Sicut autem diverſi sunt contractus, ita diverſæ substantiæ; hinc sæpè, quod in uno est de substantia, in alio est accidens; & quidem persona contrahens in contractu matrimonii est de substantia, in contractu emptionis accidentis.

1656. Item in contractibus onerosis, ut emptionis, & venditionis, causa finalis, aut motiva est accidentalis, in contractibus verò gratuitis, ut promissionibus, & donationibus, est substantialis, sicut etiam substantialis est quævis alia conditio appositæ; quia cum donatio sit liberalis, potest contrahens apponere pro substantia conditionem, quam vult sine injuria donatarii, unde ea non impleta, aut causa finali non existente, invalida est donatio, quia donatio est liberalis, & sine tali conditione, aut causa non fieret.

1657. Insuper sunt qualitates, quæ dicuntur substantiales, quatenus spectant ad substantiam contractus, ut si emas pannum, putans esse Anglicanum, qui est melioris conditionis, & valoris, & compari esse Neapolitanum. Si voveas peregrinationem ad Beatam Virginem Drepani, putans ditare per viginti milliaria, & reperias ditare per sexaginta. Vel redundant in substantiam, ut in Matr. de imped. Erroris.

1658. Demum error, si naturaliter accidat, vocatur error, inadvertentia, aut ignorantia; si verò proveniat ex alterius malitia, vocatur dolus. His præmissis.

1659. Dico 1. Si error, aut dolus fuerit circa substantiam, aut qualitates substantiales contractus, sive fuerit antecedens, sive concomitans, contractus est invalidus, & aliunde cum sit concomitans, & cum fine eo contractus fieret, nullo pacto tollit consensum.

1660. Si error, aut dolus fuerit circa accidentia, aut qualitates accidentales concomitans, contractus est validus; quia talis error non tollit consensum in substantiam; & aliunde cum sit concomitans, & cum fine eo contractus fieret, nullo pacto tollit consensum.

1661. Si autem fuerit antecedens, quatenus talis error accidentalis dederit causam contractui, ita ut sine eo non fieret; esse utroque jure validum ob sufficientem consensum in substantiam, sed irrevocabiliter ex parte decipientis, & revocabiliter ex parte decepti; ut ob injuriam rescindi possit à Judice in favorem decepti, tenet Anton. à Spir. S. tom. 1. disp. 1. sect. 18. cum Lugo.

1662. At esse invalidum, si expressè qualitas illa in contractu intendatur dico cum *Tamb. tom. 1. lib. 3. cap. 3. s. 4. num. 33. cum Bonacina, & Fagnone;* quia tunc talis qualitas est tota ratio consensus.

sus; unde ea deficiente, consensus deficit, & inde contractus, & obligatio ex Reg. generali, nullum esse contractum, ubi consensus non est, ex quavis causa deficiat. Idque ex definitione contractus. Unde ait Tamb. Si expressè volenti emere vinum vetus, des novum, nulla erit emptio.

1663. Imò idem tenet, si error, aut dolus accidentis non sit antecedens, sed concomitans; quia licet sine eo adhuc contractus fieret, revera non adesset consensus. Sed hoc non est verum, quia tunc consensus expressè esset in substantiam contractus, implicite, & virtualiter in accidens; in illo affectu, & promptitudine contractum celebrandi, etiam si error, & dolus talis qualitatis non esset. Verum tamen est quod possit tunc contractus ob injuriam doli rescindi à iudice.

1664. Dico 2. Juramentum adjectum contractibus invalidis ex errore, aut dolo, ad nihil obligat, neque ad momentaneam solutionem, ad differentiam metus. Ratio est; quia error, & dolus invalidat ex defectu consensus, qui est de essentia contractus; metus verò gravis invalidat ex injuria, & injustitia illata, revera tamen adesset consensus, & voluntarium simpliciter, non sic in contractu ex errore, vel dolo inito. Unde tunc juramentum non indiget relaxatione; quia nullum est vinculum. Vide num. 1344.

1665. At juramentum adjectum contractibus validis, initis ex errore, aut dolo concomitanti circa accidentia obligat, potest autem à iudice relaxari ob injuriam doli. Constat ex dictis.

1666. Illud tamen est notandum; quod ad hoc ut contractus, votum, & juramentum ex errore, aut dolo antecedenti circa qualitates accidentales sint invalida, qualitas esse debet expressè apposta pro conditione contractus, voti, & juramenti; quod si non sit expressè pro conditione apposta, valida erunt.

1667. Idem dicendum est de matrimonio, idem de Religione, professione religiosa, ordine sacro, quæ matrimonio æquiparantur ratione electionis status.

Unde, qui ducit Bertam sub expressa conditione, si sit virgo, invalidè contrahit, si conditio non verificetur; licet sit qualitas; quia tunc deficit consensus, qui est de essentia contractus, & obligationis. Sic de Voto, Juramento, &c.

1668. Si verò ducat Bertam putans esse virginem, sed hanc qualitatem non apponat expressè pro conditione contractus, validè contrahit; quia ex regulariter contingentibus, & ex modo, quo consensus in contractibus, & obligationibus dari solet, præsumitur, quod, qui conditionem quoad qualitates accidentales expressè non ponit, absolutè consentiat, ut in matr. de imp. erroris. Et hoc maximè in contractibus, in quibus eligitur status perpetuus, censetur quis absol. tē illum velle, etiam si quoad accidentalia aliter reperitur, quam credatur, dummodo quoad substantialia tūst.

1677. Deinde, si suscipiens Officium, juret ali-

DE INTERPRETATIONE JURAMENTI
1669. CUM P. Tamb. mihi facem pro claritate præbente procedam afferendo Regulas.

I. REGULA.

SI de intentione jurantis constat, non est opus interpretatione: scus interpretandum, ut servata proprietate verborum, quantum minor potest, obligatio inducatur. Quia juramentum est onus, quod homo sibi contra libertatem imponit; unde jurans præsumitur minus voluisse suæ libertati nocere.

1670. Hinc jurans Religionem ingredi, non tenetur ad magis strictam. Et jurans servare alicujus communitatis statuta non tenetur ad futura, sed ad præterita.

1671. Item non obligatur ad incognita, aut ad ardua, de quibus non cogitavit. Et Bulcemb. addit: Jurans non obligatur ad ea, de quibus, si cogitasset, ea non intendisset in aliis, quo promittebat, includere, sed exclusisset. Nec etiam obligatur, si id accidit, quod si fuisset juramenti tempore, pro temerario haberetur. Eadem ex pluribus iuribus confirmat Pirhing. in Comp. Can. Pariter discurras de voto.

1672. Jurans facere certo tempore (ait Bosemb.) tenetur postea, nisi pars remittat, aut nisi solum ad illud tempus juramentum alligare voluerit.

1673. Jurasti tertio quid facere certo tempore, illi te alligando, v. gr. ultimo die anni, post sex menses ante ultimam diem anni, tertius ille tibi dilatat solutionem ad aliud tempus, puta ad alios sex menses supra annum, tu dilationem acceptasti; clapsa ultima die anni non teneris solvere ex vi juramenti, sed illud finit, quia non extenditur ultra intentionem jurantis, nisi novum juramentum de solvendo juxta dilationem post annum emiseris.

II. REGULA.

1674. Obligatio juramenti facti homini est personalis. Quia essentialiter oritur ex intentione jurantis.

1675. Hinc obligatio juramenti non transit ad hæredes jurantis, etiam si ille non solum pro se, sed pro aliis juraverit.

Obligatio verò contractus transit ad hæredes; quia est realis, & res transit cum suo onere; unde hæres non solvens contractum juratum defuncti non peccat peccato perjurii, sed injustitiæ, si contractus est validus. Si autem contractus est invalidus, ad nihil tenetur.

1676. Similiter, si jurans solum tenebatur vinculo juramenti, hæres ad nihil tenetur; unde hæres non tenetur solvere mutuarii usuras juratas ab eo, cujus est hæres, nec pecuniam ab eo juratam latroni pro liberatione; quia ille solum vinculo juramenti ad tales solutiones tenebatur.

1677. Deinde, si suscipiens Officium, juret ali-

non

non transit ad successorem, nisi ex jure, aut statuto sit annexum Officio; & tunc successores ad eadem observanda tenentur, non ratione juramenti sui prædecessoris, sed ratione statuti, aut legis obligantis singulos in tali dignitate constitutos ad ea servanda.

III. REGULA.

1678. Juramentum est intelligendum juxta naturam actus, supra quem cadit. Quia ex reg. 42. Juris in 6. Accessorium sequitur naturam principalis.

1679. Ex qua tria sequuntur. 1. Quod quoties licitus est actus, licitum est juramentum, quod tunc solum erit veniale, si fiat sine necessitate ob defectum iudicii. Vide num. 1559. 2. Quod quoties licitum est uti æquocatione, & amphibologia, & mendacium salvatur, licitum sit uti juramento. Diana p. 2. tract. 6. ref. 30. Ant. à Spir. S. tom. 1. tract. 5. num. 52.

Denique 3. Quod juramentum eodem tacite habeat sensus, intelligentias, condiciones, & restrictiones, quos secundum naturam, jura, consuetudinem, aut acceptationem hominum habet actus, cui adjacet.

1680. Hinc, qui residentiam juravit, potest non residere in casibus à jure permisis. Et qui juravit observare alicujus Universitatis statuta, non tenetur servare ea, quæ legitima consuetudine sunt abrogata; aut quæ major pars non observat.

1681. Insuper ad illa tenetur sub poena solum, aut culpa gravi, vel levi, prout ipsa obligant; quia tale juramentum nihil illis addit, sed solum firmat obligationem, quæ illis aderat.

Hæc ratione Judices, & alii, qui in ingressu officii jurant, non obligantur, nisi pro qualitate obligationis, quæ secluso juramento, adest. Idque ex recensita Regula 2.

1682. Item, qui aliquid sub juramento promissit absentem, non tenetur, quousque ille, vel alius suo nomine acceptet; quia promissio non obligat quousque per acceptationem firmetur.

1683. Qui absolutè juravit, nunquam ludere, est intelligendum de ludo immoderato, minimè de moderato, nisi exprimat se id facere, ut se privet honesta illa recreatione ob mortificationem; quia licet ludus moderatus sit actus virtutis Eutrapeliæ, melius tamen est ab eo ob mortificationem abstinere.

1684. Qui absolutè juravit nunquam ludere, non intelligitur per interpositam personam; obligatio enim juramenti est strictè interpretanda, ut minus obliget. Ita Tamb. cit. & Anton. à Spir. S. tom. 1. tract. 5. dif. 1. sect. 30. num. 144.

1685. At melius dico attendendum esse finem; nam vel juravit, ne pecuniam amitteret, vel ne in rixas, aut blasphemias prorumperet: Si primum, obligatur abstinere à ludo, etiam per interpositam personam. Bonac. tom. 2. disp. 4. quest. 1. p. 16. num. 5.

Minimè, si secundum; quia in primo casu utrobique idem finis, non sic in secundo. Et ex reg. 72. Juris in 6. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.

1686. Pariter, qui juravit nunquam ludere, ludere potest alieno nomine, si finis servetur; ut esset, si finis fuerit pecuniam non amittere. Secus, si finis non servetur; ut esset, si finis fuerit vitare temporis iacturam. Quod si finis fuit vitare blasphemias, & rixas; tunc, ut abstineas, requiritur, quod expertus sis, te ludendo alieno nomine, & pecunia, solum in rixas, & blasphemias prorumpere.

1687. Si jurasti puellæ eam ducturum in uxorem, si nondum per se, nec per alium acceptaverit, potes non implere, & propria autoritate juramentum infringere; quia hæc est natura promissionis in utilitatem hominis factæ, ut nondum acceptata non obliget, & retractari possit. Si sit acceptata, potes Religionem ingredi ex jure Canonico, cap. Ex publico, de Convers. conjugat. Ubi sponsis etiam inito matrimonio rato, conceditur facultas per bimestre ad ingressum Religionis; à fortiori absolutè conceditur ante matrimonium. Secus est dicendum, si promissio jurata sit de alia re, v. gr. pecunia, &c. & sit acceptata.

1688. Hic distinguere oportet juramentum promissorium propriè dictum à juramento promissorio, quod habet rationem voti: Illud habet rationem, voti, quod est factum in gratiam solius Dei, & non alterius: Illud est propriè dictum, quod est factum in gratiam hominis.

1689. De primo discurrendum est sicut de voto. Hinc si in gratiam solius Dei promissisti puellæ eam ducturum in uxorem, non tenet ex se juramentum; quia est impeditivum majoris boni, nempe calibatus. Quod si non sit impeditivum majoris boni, ut si jures dare certam elemosynam pauperi in gratiam solius Dei, tenet, & obligat, etiam ante pauperis acceptationem; quia Deus statim acceptat.

1690. De secundo, puta si jurasti eam ducturum in uxorem in sui aut parentum gratiam, jam dictum est num. 1622. & 1687.

1691. Alumnus Seminarii, qui juravit ad patriam, etiam Anglicanam, regredi, aut statum Clericalem suscipere, eo non obstantem, potest Religionem ingredi; quia hic status, uti majoris perfectionis semper censetur exceptus. Vide num. 1687.

1692. Si sub juramento promissisti alteri dare equum, aut hunc equum, non potes compensare, dando rem alterius speciei, v. gr. pecuniam, aut alium equum; quia hæc est natura promissionis, ut sit adimplenda in specie promissa; unde non sufficit æquivalens.

1693. At licet in rebus diversæ speciei non sit locus compensationi, adest locus retentioni, donec debita solvantur. Nec retinens tunc est perjurus, quia ex jure juramentum solvens involvit hanc tacitam

conditionem: Nisi legitimam excusationem habeat. Et nisi sit iuste impediatur.

1694. Si autem sub juramento promissisti solvere centum aureos, centum coros tritici, &c. potes uti compensatione non solvendo, si alter tibi debeat totidem aureos, aut coros tritici; quia compensatio est quædam solutio, & satisfactio; quod est verum, tam in debitis post, quam ante juramentum contractis; quia juramentum est interpretandum fuisse emissum ad jurante, ea intentione, quæ sibi utilior, & commodior.

1695. Quod si, quando juravit, habuit expressam intentionem non utendi compensatione, & eam declaravit, non potest compensatione uti. Si verò non declaravit, sed tacite retinuit, potest compensatione uti; quia promissio illa sub ea qualitate non utendi compensatione, cum non fuerit declarata, non fuit à creditore acceptata; adeoque non obligat.

1696. Qui juravit non revelaturum secretum, non tenetur, quoties habet jus manifestandi.

1697. Rectores, &c. qui jurant servare secretum super iis, quæ in confessorio tractantur, sub mortali tenentur, juxta gravitatem rei, quæ tractatur. Aperire aliquid, quod non credit in damnum, aut præjudicium Reipublicæ, publici officii, aut tertii esse veniale, ait Anton. à Spir. S. tom. 1. tract. 5. disp. 1. sect. 21. num. 153. cum Sanchez & Palao.

1698. Officiales, qui jurant servare taxam à Principe præscriptam, ad illam tenentur; & si plus accipiant, restituerent debent. Nec obstat consuetudo in contrarium, si sit, quod Officiales plus recipiant clam, & Princeps non consentiat, sed sciens puniat.

1699. Juramentum, quod Medici emittunt de servando Decreto Pii V. quod est, ut infirmum moriantur de Sacramentis, & tertia die non visitent, si confessus non sit: est intelligendum, prout Decretum Pii est in usu. Anton. à Spir. S. cit. Qui addit, Decretum Pii fuisse consuetudine abrogatum.

1700. Scholasticus interrogatus: An locus fuerit cum aliquo ex oppositis, aut illius domum fuerit ingressus, potest respondere negative, si verba, aut ingressus domus non fuerint subornationis causa; quia hæc esse debet mens Judicis interrogantis. Anton. à Spir. S. cit. sect. 6.

CONDITIONES IN JURAMENTO.

1701. Promissio & inde juramentum ei adiacens, plures condiciones generales tacite involvit. 1. Si potero; quia ad impossibile neminem tenetur. 2. Si licet; quia promissio non est vinculum iniquitatis. 3. Salvo jure, & auctoritate Superioris; quia nemo potest se obligare in præjudicium Superioris; unde hic in materia præjudiciali potest juramentum irritare. 4. In promissione mutua: Si alter fidem servet. Ex Reg. 75. Juris in 6. Frustra sibi quis fidem postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat. 5. In Donatione: Si alter ingratus non existat. 6. In fideiussione: Si principalis excu-

riatur: Unde qui sub juramento fideiussit, non obligatur solvere, nisi prius principalis excusatur. 7. Si is, in cuius gratiam facta est promissio, acceptaverit, aut saltem tacite non renovaverit. 8. In quavis promissione, aut juramento: Si res non fuerint notabiliter mutata.

1702. Hinc, qui cum juramento promissit nuptias puellæ diviti, virgini bonæ famæ, sanæ &c. si hæc evadat pauper, non habens dotem competentem, desolata, malæ famæ, infirma, non tenetur illi stare. Neque qui promissit contractum societatis, si socius notabiliter rixosus, & molestus evadat, &c.

1703. Imò non teneris implere juramentum de ducenda in uxorem muliere, cum quæ es fornicata, si illa evadat fornicaria, vel accidat aliud impedimentum contrarium legi dispositionis, ut si evadat leprosa, paralytica, vel notabiliter deformis. Si verò eam duxisti, non potes dimittere. C. Quomodo, de Jurejur.

IV. REGULA.

1704. Juramentum non confertur factum in præjudicium tertii. cap. Venientes cum contingat, de Juram. Et cap. Quamvis pactum, de Pænis in 6. quia esset illicitum.

1705. Hinc, qui juravit solvere centum Petro creditori posteriori, debet ea solvere Paulo creditori anteriori, si alia non habeat.

1706. Item licitum est revelare secretum naturale juramento firmatum, si sit gravior alteri, aut sibi nocivum. Diana p. 6. tract. 6. ref. 60. Tamb. tom. 1. pag. 292. num. 21. Quia nemo intendit se obligare alteri ad secretum naturale in concursu gravis mali proximi & maxime proprii, nemo enim magis proximus est, (ait Diana) quam quisque sibi. Tùm quia secretum illud est veluti quoddam depositum apud me occultatum, quod non teneor cum tanto incommodo servare occultum.

1707. Suadet à pari: Non minus namque habet quis jus ad famam, quam ad secretum; & tamen licitum est detegere crimen occultum alterius, v. gr. quod famulus sit fur, &c. ad vitandum grave malum proximi, & maxime proprium cit. DD. cum Comm. Ita est dicendum in casu secreti naturalis, quoniam sicut nemo habet jus ad famam cum damno proximi, & innocents, sic nemo habet jus ad secretum naturale cum damno proximi, & innocents.

1708. Hoc autem est intelligendum cum triplici limitatione. 1. Si secretum non concernat bonum publicum, pura Fidei, Regni, Patriæ, Exercitus, sed particulare; quia bonum publicum est præferendum privato. 2. Si non sit alia via ad malum vitandum. 3. Quod reveletur illi, cui prodesse, & non obesse potest.

1709. Non tenet juramentum præjudicans juri Superioris, cap. Venientes, de Jurejur. Nec contrarium Juri, cap. Ad nostram, ibid. Contra utilitatem Ecclesie.

siæ. Greg. XIII. Const. 93. Inter Apostolicas. De non testificando contra aliquem, cap. Constitutus, de Testibus.

1710. Tenet juramentum factum in damnum proprium, si potest sine peccato servari. Conc. Lateranense 3. tit. de Juram. cap. 3. Sed potest relaxari, ibid. cap. 1.

DUBIUM IN JURAMENTIS

1711. Resolvatur, ut in votis infra à num. 1902.

CESSTATIO JURAMENTI

1712. Contingit, ut in votis infra à num. 1906.

1713. Juramenta in utilitatem hominum præstita irritare possunt omnes, qui habent potestatem dominativam. Dividit, si sit eis subjecta voluntas jurantis. Indirectè, si sit eis subjecta materia juramenti.

1714. Hinc Papa potest irritare juramenta de renunciando beneficio, de non alienandis rebus Ecclesie, &c. quia sunt de materia subjecta dispositioni Papæ.

1715. Superior Regularis juramenta subditorum; quia ratione voti obedientie, eorum voluntas est plenè Superiori subjecta.

1716. Vir respectu uxoris, uxor respectu viri & dominus respectu servi, si juramenta illis præjudicent, aut sint de materia illis subjecta, uti dicimus de votis.

1717. Juramenta verò promissoria hominis, cuius voluntas non est alteri subjecta, de materia, quæ pariter non est alteri subjecta, nec præjudicans, facta homini, & ab eo acceptata, non possunt commutari, etiam in melius, nec dispensari, nec irritari nisi ipsa pars consentiat aut remittat, ut in num. 1687. Quæ remissio propriè non est relaxatio; quia non est actus jurisdictionis spiritualis, nec irritatio; quia non est actus potestatis dominativæ, sed reducit ad irritationem, quatenus est actus domini in materiam promissam, utpotè acceptatam.

1718. Potestas relaxandi juramenta competit soli Superiori, & Judici Ecclesiastico, quia est actus jurisdictionis spiritualis, quoniam juramentum est actus Religionis. Unde licet Princeps temporalis circa res, in quas est dominus, possit remittere, seu irritare juramenta, non minus quam quilibet privatus circa alias res, ut in casu injuriæ, metus, vis, &c. de quibus supra: relaxare spectat ad potestatem Ecclesiasticam. Anton. à Spir. S. Palao disp. 3. de Juram. p. ult. num. 4.

1719. Ex Concil. Elibertino: Pueri ante annos quatuordecim non coguntur jurare. Puella quoque, si in puerili ætate in domo Patris, illo nesciente, se juramentum constrinxerit, & si pater statim, ut audiverit, contraxerit, vota ejus, & juramenta irrita erunt.

1720. Cause relaxandi juramentum sunt, fuisse

extortum cum injustitia, injuria, vi, metu, vel fuisse emissum cum temeritate, ira, perturbacione, aut levitate, vel quia fuit emissum in favorem excommunicati.

JURAMENTA IN DEI GLORIAM PRÆSTITA

1721. Possunt commutare, dispensare, & irritare qui possunt respectivè vota.

1722. Juramentum in Dei gloriam emissum potest quis in melius propria auctoritate commutare.

1723. Confessarii Regulares habent potestatem commutandi juramenta, & vota secularium, & extorcorum, ac in iis dispensandi, exceptis quinque reservatis, quæ tamen in nullo deficient; quia aliis non sunt reservata; de quibus infra de Votis. Et exceptis juramentis promissoriis à tertio acceptatis. Ex privilegio Pauli III. per Bullam 7. Cum inier tantis, 1. Junii 1545. quoad vota, extenso ad juramenta à Greg. XIII. Rodr. tom. 1. quest. 63. Diana part. 3. tract. 2. ref. 9. Tamb. tom. 1. lib. 3. cap. 7. §. 3. à num. 8. Anton. à Spir. S. in Direct. Regular. tract. 2. disp. 3. num. 80. Vide num. 1962.

1724. Insuper rescindere possunt tractatus, & juramenta relaxare, ab uxore, aut filios familiaris, ex metu gravi reverentialis, aut precibus importunis emissa ad favorem mariti, aut parentis, ut fideiussio pro marito, aut patre; promissio de solvendis eorum debitis; renunciatio hæreditatis juramento firmata. Diana part. 3. tract. 5. ref. 20.

1725. Ubi ait: quod duplex fit reverentia, una simpliciter, & in gradu positivo, altera nimia, & in gradu superlativo. Prima est, quando persona Patris talis conditionis est, ut ei debeat reverentia simpliciter, ut si sit ignava, aut vilis, ita ut filius audeat dicere: Nolo: tunc ad constituendum metum reverentialem gravem, non sufficit sola præsentia, sed requiritur, quod præcedat verbera, aut minæ. Secunda est, quando persona Patris est talis conditionis, ut ei debeat reverentia nimia; & tunc sola præsentia ejus sufficit ad constituendum metum gravem.

1726. At nec Episcopi, nec Regulares dispensare possunt in juramentis, quæ adjacent actibus ex se perpetuis; hujusmodi est juramentum professionis fidei, juramentum, quo quis confirmet professionem religiosam jam emissam, matrimonium jam initum, & statum Sacerdotis jam susceptum. Tamb. cit.

1727. Si iurasti in Dei gloriam, & charitatis intuitu certam dare elemosinam determinato pauperi, potest pauper obligationem remittere; quia in hoc juramento tacita adest conditio: Dammodo si pauper, in cuius commodum promissio facta est, rem promissam acceptare non recusat. Si verò nullum determinasti pauperem, nullus erit, qui obligationem remittat. Anton. à Spir. S. de Juram. tract. 5. disp. 1. sect. 28. num. 192.